FRANSCISCI VAN DER BREGGEN *CORN. FIL.*

ORATIO

DE

UNA ATQUE SOLA VIA, PRO HODIERNIS ARTIS MEDICAE INCREMENTIS, TUM AD ARTIFICIS SOLERTIAM, TUM AD ARTEM IPSAM AMPLIFICANDAM, RITE INEUNDA.

HABITA PUBLICE

DIE XXIV NOVEMBRIS A. CIƆIƆCCCXVII,

CUM PATHOLOGIAE, MEDICINAE PRACTICAE, MATERIAE MEDICAE ATQUE MEDICINAE FORENSIS PROFESSIONEM IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI SOLENNITER AUSPICARETUR.

AMSTELAEDAMI,

EX TIJPOGRAPHIA CIVITATIS PUBLICA.

MDCCCXVIII.

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS

CONSULIBUS

ET

ILLUSTRIS ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS

CURATORIBUS,

VIRIS AMPLISSIMIS, HONORATISSIMIS,

SACRUM.

ORATIO

DE

UNA ATQUE SOLA VIA, PRO HODIERNIS ARTIS MEDICAE INCREMENTIS, TUM AD ARTIFICIS SOLERTIAM, TUM AD ARTEM IPSAM AMPLIFICANDAM, RITE INEUNDA.

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS CONSULES, VIRI AMPLISSIMI, NOBILISSIMI!

ILLUSTRIS HUJUS ATHENAEI CURATORES, VIRI GRAVISSIMI!

QUI HAC IN URBE REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS, JUSTITIAEVE VINDICANDAE PRAEESTIS, VIRI NOBILISSIMI, SPLENDIDISSIMI!

QUARUMCUMQUE DOCTRINARUM PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

MATHESEOS ET ASTRONOMIAE LECTOR PERITISSIME:

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES DISERTISSIMI, VENERANDI!

QUARUMVIS ARTIUM, DOCTRINARUMQUE DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI!

CIVES, HOSPITES, LITERARUM AMORE AUT DOCTRINAE FAMA INSIGNES, CUJUSCUMQUE ORDINIS ATQUE LOCI, AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

VOS ETIAM, JUVENES LECTISSIMI, HUJUS ATHENAEI ORNAMENTA, PARENTUM AMOR, PRAECEPTORUM DELICIAE, PATRIAE SPES!

Si quid erit in me ingenii, Auditores, quod ſentio quam ſit exiguum, aut ſi aliqua artis medicae exercitatio, in qua me non niſi mediocriter verſatum eſſe perſentio; aut ſi vel aliqua dicendi ra-

ratio, a reliquis disciplinarum ſtudiis profecta, quae omnia Magiſtris, quibus olim uſus fui, optimis eorumque praeceptis potius, quam proprio marti, me debere lubenter confiteor; timenti tamen mihi ac facile trementi terrorem incutit nova Athenaei Amſtelaedamenſis, quam imprudens forte et incautus ſuscepi, provincia, tum locus ipſe et quam adſcendi cathedra, e quâ dixerunt olim viri, omnium omnis generis doctrinarum et disciplinarum laude ornatisſimi, e quâ et hodie inprimis ſummâ cum admiratione contemplari mihi contingit effigiem virorum, de nostratibus atque exteris optime meritorum, quorum fama eximia atque disciplina ad unam, non dicam Europam, ſed ad omnem terrarum orbem pervaſerunt.

Quamvis enim ad erigendum animum meum juvet, quod in religione officii collocandum arbitror, magiſtrorum optimorum praeconium; quamvis vel hac occaſione gratisſimo cum animo laudare vehementer non posſim non viros illos, in

arte suâ pereximios, SANDIFORTIUM, OOSTERDYKIUM, PARADISIUM, clarissimos quondam Academiae Lugduno-Batavae Professores, qui praeceptis suis atque institutionibus singularem cujuscumque generis benevolentiam ad studia mea contulerunt; quamvis vel me eruditum etiam praedicem laboribus atque scriptis virorum, doctrinâ, honore, ac nomine illustrissimorum, qui in hoc civitatis Amstelaedamensis Athenaeo summâ cum laude floruerunt atque adhucdum vigent BONNII, VROLIKII, REINWARDTII; non arroganter tamen ita de me ipse sentio, quin et cuncta haec aliorum officia atque merita, ad me delata, ad debita mea scientiae atque artis justo nomine exsolvenda, eo magis valere, persuasum mihi sit ac persuasissimum.

Quod igitur audacem me juvare afflictumque sublevare poterit, vestra, CONSULES Civitatis et CURATORES hujus Athenaei, Viri amplissimi et perillustres, erit humanitas et benevolentia, quâ stu-

ſtudiis meis adesſe, novaeque mihi palaestrae curam committere voluistis, cum Profesſionem, plane novam, *Pathologiae*, *Medicinae Practicae*, *Materiae medicae* atque *Medicinae Forenſis* inſtituere decerneretis.

Imo et hanc vestram auctoritatem, hunc amorem et favorem vestrum, Viri gravisſimi! in conſilium advocare mihi liceat, quo magis certiores vos esſe velim, non istam mihi inesſe doctrinae copiam, quam et Provinciae, a me ſusceptae, ratio aut ſpes vestra exſpectare videatur. Non igitur multa promittere, ſed inſignia benevolentiae vestrae documenta gratisſimo cum animo rependere, voluntati atque exſpectationi, quam de me habetis, beneficae, quantum in me erit, ſatisfacere, atque illa omnia ad munus meum penſumque revocare, ſumma officii mei erit religio. Quod ſi ſedulo ita acturus ſim, ut nec ipſe mihi, neque etiam ſpei vestrae defuisſe plane judicer, vos, Viri nobilisſimi! hoc animi et officii gratioris testimonium,

 be-

benevoli accipiatis, rogo, peto, obtestor. Quod ſupereſt, ſalvos vos atque incolumes Deus Optimus Maximus diu conſervet, in Civitatis, Patriae, Athenaei, Literarum, rerumque omnium bonarum inſigne decus, oro, precor, ſupplico!

Atque ita etiam et vos, Viri clarisſimi, Collegae honoratisſimi! doctrinarum quarumcunque Profesſores, ad eundem amorem et favorem compellare velim. Egregium quidem illud Curatorum amplisſimorum beneficium, in me delatum, hoc ſibi habet peculiare atque proprium, ut ordini veſtro adſcriptum nihilque adhuc tribuentem, literarum, ſcientiarum, doctrinarum et utilitatum ſocietatem vobiscum inire me patiamini, quin et multa mihi de jure veſtro concedatis; mihi profecto, qui tenuitatis meae bene conſcius, hoc ordine vix ac ne vix quidem dignus videar. Cum vero in ſtudiis atque literis nihil humanius fieri poteſt, niſi ut doctrina ſuperior et ſapientia, factis et ſcriptis latisſime celebrata, ſtudioſum et laboris

aman-

amantem, voluntate, consilio, auxilio juvet aut adjuvet, ita et vos, Viri eruditissimi, me velut laborum socium recipiatis, subveniatis, sublevetis et sustentetis, pro scholae nostrae celeberrimae necessitudine, oro atque obtestor. Favete mihi igitur et amate vos, quorum caritatem, benevolentiam, subsidium et praesidium imploro, atque me in vestram vos recipite fidem, quibus integrum me totumque tradere, cura mihi erit summa et delectatio.

Et vos Auditores humanissimi! cum Orationis argumentum aggredior, adeste aequis auribus meque humanitate et benevolentiâ sublevetis velim. Dicam igitur;

De unâ atque solâ viâ, pro hodiernis Artis Medicae incrementis, tum ad artificis solertiam, tum ad artem ipsam amplificandam, rite ineundâ.

Per-

Pervolventes diverſarum gentium annales, ad inveniundum quod olim fuit artis medicae ſtudium, prout Historia, lux illa veritatis et magistra vitae, nos edocuit, quatuor quidem periodos distinguere nos oportebit.

Ac primum illa, quam facile incertam ingenii infantiam dicas, ars domeſtica fuit, quum Nationes infimum adhuc culturae gradum tenuerunt. Quamdiu enim illae Penates ſanitatem tueri, vel Daemones morbos affligere, vel Deorum ad valetudinem recuperandam auxilium implorandum esſe, ſomniarunt; quamdiu aegroti, eundem in finem, viis publicis aut templis exponebantur, tum vel varia ſigna, formulas, amuleta, aliosque characteres ſympatheticos aut magicos, ad ſanandum vel infectandum ut plurimum valere putarunt; artem medicam profecto hanc periodum conſtituisſe, absque omni dubio contendere licebit.

Alterum mox fuit ſtadium artis empiricae, quâ viri, doctrinâ atque auctoritate ornatisſimi, obſerva-

vationes vitaeque quotidianae experimenta ad usus suos practicos contulerunt, atque inde et fontem et terminos scientiae omnis medicae petiverunt. Imo et eandem hanc viam ineuntes, HIPPOCRATES, HARVAEUS, SYDENHAMUS, BOERHAVIUS, FRIDERICUS HOFFMANNUS, HALLERUS, veteris scholae empiricae unus aut alter, coaevos luce sua ingenti illustrarunt, quin et posteros ad liberrimam examinandi rationem et colligenda rerum gestarum testimonia duxerunt, quibus scientia haec perfectior, pari cum passu, mirum in modum adaucta fuit. Nunc enim una ac sola veri inventio opem illam praestitit, ut diversa systemata theoretica, pariter cum arte ipsa aut praxi, ex diversâ vivendi ratione, in scholam illata fuerint. Hoc igitur tempore ars scientifica multos fecit progressus. Omnia, ad perficiundam illam aliunde ducta, vel veri speciem vix tenuerunt, aut cum ipsâ inventione desierunt.

Sequitur tertia Dogmaticorum periodus, quâ

philoſophandi ratio ſcholastica, cum conjecturis praeter ſenſuum effata, ſcholarum formulis, ſententiis atque verbis, cognitionem ipſam empiricam ſibi ſubjecit, adeo ut ipſa haec philoſophantium ſchola et abſtractas notiones, et omne istius eruditionis genus, quin et vocabula ipſa tenere aut intelligere ſola vix ac ne vix quidem potuerit. Qui ſcholam Hippocraticam ſequebantur, hoc philoſophandi genus oppugnare vehementer coacti fuerunt. Mox autem ad castra Dogmaticorum et Disputantium pervenerunt. Restauratis literis, novum in dies apparuit ſystema, a philoſophis inventum atque inductum, quod facile ad ſcientiam veram et germanam retulerunt; atque hinc nonnunquam Ars ipſa vestem aliquam mijsticam induit, quâ cognitionem ipſam niſi vel ad ſummum veritatis culmen elevarunt, deſiderio tamen ſuo et hijpotheſi, verbis barbaris et poëtico dicendi genere, ſatisfecerunt.

Atque haec ſunt illa literarum ſtadia, quae in Me-

Medicinâ obtinuerunt. Pauco igitur annorum intervallo, in unam aut alteram partem, de verâ aut falſâ praxi, de Brownii ſystemate empirico aut hijperphiloſophico, vel tandem de ipſo philoſophandi genere, vel poëtico, vel proſaico, disputatum fuit.

Contemplemur autem hodierna Medicorum aut Phyſicorum ſtudia, quibus vel objectum artis, velut experientiae ſubjectum, ad veram obſervandi atque experiundi rationem referre, vel postremum hoc, velut mentis effatum, ex argumentandi more philoſophico explicare voluerunt; contemplemur porro eorum inventa et modum, hanc disciplinam variis modis atque pactis tractandi, tum profecto egregia indicia et ſublimioris ſystematis medici ſubſidia inveniemus. Confiteri tamen oportebit, principia artis nostrae, mediis in literarum nostrarum incrementis, ad unum aut alterum ſystema veri nominis firmandum, non ita vera aut certa existimari posſe, ut illis fidem omnem praebeamus.

 Con-

Congeries enim illa empirica, multo cum fervore adaucta, pariter cum Medicorum ipſorum ſtudiis, ad artem medicam revocandi omnia, quae ſcientia naturalis afferre poterit, tum et ipſum illud, quod ad aetatem nostram pertinet, ſingulare ſcientiarum omnium ſublimiorum et univerſarum ſtudium verum et germanum, cognitionis rectae fundamentum, in omnem partem vacillarunt. Atque haec obſervatio magis adhuc valere poterit, quippe omnis hic artis progresſus hoc ſibi habet proprium, ut accuratius indaget atque examinet, quod imperio ejus in hanc vel illam partem ſubjici poterit. His enim praetermisſis, mox provectiora inventa atque ſtudia artem ipſam, quam divinam atque in ipſâ rerum naturâ fundatam facile dicamus, ad incertam non tantum ſcientiam, quin et ad vanam ac futilem disputationem referenda erunt.

Atque ita magno cum illo ſystematum et compendiorum numero, ubi vel varia ſcientiarum theoremata vel regulas therapeuticas, ab infimis inde ef-

effatis empiricis ad audacisſimum conjecturandi genus illatas, inveneris, ipſa exoritur quaestio: Quid vel inde ad ſcientiam et artem accesſerit? Quid vel veri aut certi his in ſtudiis inveniatur? Aut quamnam utilitatem ars medica e magnis ſcientiarum naturalium progresſibus, vel ex ipſâ illâ philoſophiâ erectiore aut ſublimiore, ceperit?

Delapſo ſaeculo octavo decimo medio, egregium illud praeſidium artis medicae enatum fuit, cui BOERHAVIUS, FR. HOFFMANNUS, STAHLIUS, aliique anſam praebuerunt. Condiderunt illi ubicumque terrarum ſcholas ſuas; ſcripſerunt erudita varia, quae in omnium fere manu verſabantur; GALENI theoriam examini ſeveriori ſubjecerunt ejusque auctoritatem diminuerunt; ſcholam SYLVII oppugnarunt; Θεραπειαν generalem firmioribus oeconomiae animalis principiis, in ſtatu tam ſano quam morboſo, pariter cum prospero medicamentorum ſuccesſu, fundarunt; vitia humorum accuratius examinarunt; majorem organismi omnis

vitalis rationem habuerunt; empiriam irrationalem rejecerunt, ſimplicioremque rationalem ſubſtituerunt; illi tandem, pro ratione temporis emendatioris et progresſuum, quos Phyſica aliaeque disciplinae theoretica jamjam fecerant, feliciori laborum omnium eventu gaviſi fuerunt.

Ad finem vergente eodem ſaeculo, Phyſica, praeſertim Chemia, multos fecit progresſus; major lux Phyſiologiae et Pathologiae apparuit; Materies medica et Pharmacia magis elaboratae; multa medicamina, huc usque incognita, quin et medendi methodi variae meliori examinis trutinae ſubjectae; magnus obſervationum rectiorum numerus de ſtatu morboſo atque remediorum effectu, experientiâ duce, pervagatus fuit; accesſit tandem medicorum liberior ſentiendi ratio, quae vincula disciplinae ſcholasticae perfregit, atque haec omnia vim ſingularem ad perficiundam Θεραπειαν, maximum illud recte medendi inſtrumentum, adhibuerunt.

Prisca igitur Hippocratis obſervandi ratio iterum prae-

praevaluit, quâ naturam ſequi, ejusque vires medicatrices, ex magistri optimi voto, magis aestimare coeperunt. Aditus fuit longe facilior componendi lites admodum futiles, quae olim in Pathologiâ humorali aut nervoſâ obtinuerant; illam certis circumſcribendo limitibus, hanc illustrando partibusque ſolidis vitalibus utiliorem et efficaciorem reddendo vim, quae tandem disputatores fervidos de efficaciâ medicamentorum in partibus Corporis Humani ſolidis et fluidis ad altisſimum ſilentium redegit.

Cognitione Phyſices mirum in modum adauctâ, nostris quidem diebus Philoſophia, quam *criticam* appellant, terminos ſcientiae arctiores conſtituit; varias, quae olim extiterant, docendi methodos examini accuratiori ſubjecit; opiniones antiquitatis priscas et venerandas, veluti dubias valde et incertas, provocavit; innumera fere organismum rite examinandi inventa progenuit, atque hoc pacto inductae fuerunt omnes novae illae et grandes

ar-

artis revolutiones, quae omnem theoriam medicam vel turbarunt vehementer, vel etiam ad novam quaſi formam duxerunt.

Fuit imprimis Theoria organiſmi vitalis, quae univerſas illius mutationes a mutatâ mixtione et formâ materiae animalis ſejunxit, relictâ tamen ipſâ illâ explicandi hanc varietatem curâ atque operâ, quin et materiam ipſam variantem nomine ſingulari appellandi facultate. Mox enatum fuit ſystema Brownii et theoria incitabilitatis, quâ vita, ſola in organiſmi incitatione atque in actione externarum incitantium potentiarum poſita, atque illa, velut fundamentum primum et princeps, commendata fuit. Fuit tandem docendi ratio medica, quae primas naturae vires, atque ita ſummum illud ſcientiae omnis phyſicae principium, non ad ſolam artis formam experimentalem, quin et pariter ad contemplandi aut theoriae rationem, atque hoc pacto Θεραπειαν ipſam nuperrimis quidem temporibus, ad firmam et ſtabilem ſcientiam retulit.

In hodiernâ igitur Medicinae conditione, nullus alicui theoriae locus erit, quae, jure atque arbitrio, praxin ipſam determinare poſſit, nulla profecto, quae experientiam ſolam, testem ac magistram habeat. Accuratiori enim inſtituto examine, bene multa ſeſe offerunt lacunoſa et contraria, atque experimenta ipſa therapeutica duplicem aliquem, quin et aliquando valde infelicem eventum habuerunt. Idemque illud confiteri facile oportebit de reliquis omnibus, quae hoc quidem cum conſilio inventa atque inſtituta ſunt, ut Medicina practica ad ſolum theoriae finem referretur.

Cum igitur, ne hanc in rem prolixiores ſimus, ex his, nuperrime ad medicinam novo cum ſtudio relatis, quae ante perhibita ſunt, concluſionem aliquam efficiamus, facile apparebit, tractationem medicinae ſcientificam ſuperius fuisſe elatam; multas ideas et opiniones ad veriorem artis formam acceſſiſſe; ordinem magis logicum ad morbos bene distinguendos, imo et in varias claſſes referendos,

obtinuisſe; rationem longe accuratiorem virium vitalium, tum ad explicandum tum ad tractandum ſtatum morboſum, inductam, atque inde indicationes et qualitates corporis materialis magis definitas et verius fuisſe elaboratas. In alteram tamen partem nullus, a praejudicatâ opinione immunis, inficiari poterit, permultos nimis anxie verſari in tractatione aliquâ transcendentali, quae empiriam aut praxin facile ſpreverit. Antea enim opinio fuit vulgaris, unum aliquod factum magis valere, quam quidem magnum hijpotheſium numerum; theoriam autem in ipſâ experientiâ collocandam, arctisſimoque nexu ad veritatem et uſum certum esſe conjungendam. Nostrâ autem aetate res ipſa longe aliter comparata est. Quod in experientiâ cernitur, nunc theoriae ſubjicitur, figmentum fere omne lubentius arridet, quod certum ſane dicamus, rejicitur, atque ita ſententiam vulgarem ſequi, in laude collocatur. Hinc novae cujuscumque generis obſervationes ſtudio praejudicato ad

ſys-

ſystema referuntur. Hinc ſtatum, qui *incitationis* dicitur, aptisſimumque medicamenti ſtimulantis gradum ad granum fere indicârunt, ast in praeſcribendo medicamento ipſo, aut doſi; vel formâ, vehementius errârunt. Hinc faciliorem unusquisque rationem invenerit, Cosmogoniam aut Phyſicam phantasticam formandi, tum et elementa naturae jucunde ſatis atque eleganter effingendi, ut quod in naturae phaenomenis obſervatur, divino quaſi honore afficiatur, magis quam quod in ipſo naturae conſpectu, aut monte, aut agro, aut laboratoriis ſeſe omnino commendat, examini accurato et experimentis ſubjiciatur. Jucundius hinc etiam longe et facilius fuit, theoriam nervorum, ſenſuum organorum et generationis, formulis mijſticis comprehendere, quam examen illud accuratius inſtituere, quod HALLERUS, SOEMMERINGIUS, alii, quondam fecerunt. Atque ita etiam imaginatio ſola medicamentorum effectus facilius quidem fingere, quam in viſitandis aegrotis ipſis, experi-

rientiâ duce, consectanea certiora elicere potuit.

Ut igitur paucis omnia comprehendamus, nullus quidem abnegare poterit scientiam amplificatam, cognoscendi autem et distinguendi rationem imminutam fuisse. Medicina igitur theoretica magis, quam practica praevaluit, atque adeo multis concedendum facile erit, medicinam priscam, absque inventis recentiorum stare utique posse; postremum vero sine veterum praesidiis vix ac ne vix quidem recenseri aut vel amplius posse intelligi.

In tractandâ enim arte medicâ non arridet, quod sciendum solum, sed quod, ut unusquisque viderit, agendum sit. In summo autem fine et consilio collocandum erit, quod vero nomine *praxin* dicimus. Haec enim juxta naturam suam et veriorem significationem nihil vult inferius, nisi ut Corpus Humanum, velut Naturae phaenomenon, quantum quidem fieri poterit, imperio mentis atque artis, finique supremo satisfaciat. Omnes Corporis partes, in omni existendi aut vivendi

aut

aut patiendi modo vario, pendent ex objectis naturae externis, quae illud afficiunt, adeo ut arctisſimis quidem vinculis cum ipſo univerſi organismo cohaereant, tum actione ipſâ rerum externarum facile modificentur. Atque ita ſupremum artis medicae finem *illum* dicamus, qui est in temperandis et regundis istis externis, gravem ita profecto et grandem, ut naturam ipſam, velut agentem, juxta experientiam ſatis bene certam, ad artis formam redigere posſimus.

Natura, e contrario, ad artem Medici non exanimum aliquid est, quod velut inſtrumentum pro lubitù moveatur, quin potius animatum illud, quod ipſo ſpiritu ſuo calescit, alimentis ſustentatur et aliunde etiam alget, cujusque phaenomena, pro externo rerum impulſu, juxta certas naturae leges afficiantur atque immutentur. Hae leges a medico obſervandae non tantum ſed et accuratius tenendae ſunt, ut pro externis hisce rebus medicamina aptiora investigentur. Quod in phaeno-

nomenis naturae ejusque legibus veluti caufam comperias, nunquam abfolutum ita praedicabis, quin et arti fubjectum atque obediens existimaveris, quin et per naturam ipfam, fatis bene cognitam, ad organismi leges rite componas aut ad medicamentorum falutarium praescriptionem facile referas. Praxis igitur disciplinam fcientificam fupponit, ambaeque illae nequaquam veluti res contrariae opponendae, quin contra arctisfimo quidem nexu conjungendae erunt. Si unam ab alterâ feponas, tum disciplinam ipfam, pro inventis ipfis vel magis vel minus certioribus, aut extendere magis, aut, quantum poteris, ad fcientiam fatis bene perfectam conferre, officii tui dixeris; conftat tamen praxis, nequaquam hijpothefi inferviens, velut ad liquidum explorata veritas, exornata quidem dignitate, honore, laude, temporique accommodata, fed ipfa fibi quafi fufficiens, nec opperiens amicos futuros aut patronos, qui ad lucem fcientiae clariorem accesfuri erunt.

In

In hoc arctisſimo tamen praxeos et ſcientiae medicae conſenſu, nihil obſtat, quin illam pariter, nostris imprimis temporibus, ad univerſam rerum naturalium cognitionem conferamus. Nostra enim aetas hoc ſibi ſingulare habet atque egregium, ut ingenia hominum, mirum in modum exculta, ad excelſius quoddam ſcientiarum fastigium et culmen adſcendant, ut intricatiora rerum principia ad unam aliquam conſenſionem, vel ad unum aut ſimplex principium referre, quin et terminos, quibus *τὸ ſimplex* circumſcribi ſolet, ita extendere velint, ut quid vel ad ſcientiam medicam peculiarem, vel ad naturae philoſophemata, proprio nomine, pertineat, aut quid conſenſum organismi nostri cum rebus externis, vel orbem ipſum ſcientiae naturalis conſtituat, vix ac ne vix distinguere posſimus. Ita vel *lux*, quae in ſenſus occurrit, vel *vis electrica*, aut *galvanica*, aut *magnetica*, quae in nervos agunt, phaenomena praebent adeo ſingularia, ut facile ex uſu ſingulorum ad experi-

rientiam univerſam concludas, atque, velut una datur Natura, omnia ad unam eandemque ſcientiam referas. Ita etiam, naturam contemplando, occultiora et remotiora ejus adita penetrare atque ex millies mille phaenomenis peculiaribus unum aliquod principium elicere poteris, quod et ſciendi deſiderio aut curioſitati, non vero arti medicae aut disciplinae, ſatisfaciat, quippe haec non cogitandi ſed agendi, non videndi, quid ſingulari aliquâ occaſione, ſed monendi rationem habeat, quod in omnem omnis corporis humani organismum valeat:
„ Scilicet, (ut ſummus GAUBIUS ait;) pulcrum est,
„ rerum quarumvis reddere rationem poſſe, nodos
„ difficiles ingenii acumine ſolvere, locis obſcuris,
„ ubi prudentia, errorem aut praecipitium metu-
„ ens, timido pede incedit, gradumve ſiſtit, ſolem
„ quaſi manibus geſtare; pulcrius etiam, quae
„ ſenſuum aciem cautaeque rationis ſolertiam fu-
„ giunt, naturae arcana conjecturis et quadam
„ veluti divinatione explicare, ut qui per ſommium
„ de-

„ detegat, quod vigilanti incomprehensibile sit:
„ pulcerrimum denique systema concinnare atque
„ apponere totum teres, rotundum, omnibusque
„ numeris absolutum, in quo tirones nihil non
„ exaequatum inveniant. Laudarem et ego, si
„ morbi opinionum commentis cederent; si quo
„ loquacior Medicus, eo perfectior esset, si ad
„ hypothesin sese natura flecti fingique sineret:
„ saltem ferenda putarem, si sola Medicum con-
„ templatio faceret, neque cum Praxi Theoria
„ aliquid haberet commune, suisve erroribus, sibi
„ servatis, morborum curationes non contamina-
„ ret. Verum nimis profecto manifestum est,
„ quamplurima, nec parvi momenti, mala ex hoc
„ fonte in artium praestantissimam invehi." (*)

Atque ita, Auditores, si Medicinae historiam testem appellamus, illam, a priscis inde temporibus usque ad aetatem nostram, systematum et hy-

(*) J. D. Gaubii, *Inst. Path. med. in Praefat.*

hypothesium plenam fuisse, constat. Tandem vero et formandi et docendi ratio in omni Europae parte invaluit. Nulla tamen Theoria medica eodem ac perpetuo honore, nec universâ fide affecta fuit, quae certae scientiae contingit. Systemata, e contrario, artis perfectionem semper impediverunt, imo et in eorum varietate fundamentum atque ratio cernitur imperfectionis illius, quae in diem observari solet.

In arte nostrâ, igitur, principia comparationis universa valent, non vero unum illud, ex quo reliqua derivanda forent. Perfectam illam nunquam dicas, ad quam nihil novi accederet. Medicus ardenter quidem cupiet majorem in dies progressum ad artem ipsam perficiundam, ast cavebit pariter, ne ullius systematis philosophici aut medici, ad saeculi morem compositi, aut numeris omnibus absolutissimi, rationi aures patulas praebeat, velut quae finem supremum attigerit; hoc enim nec dignitati Naturae humanae,

nec

nec auctoritati artis ipsius conveniret, quae laboris praemium nunquam in vitâ otiosâ quaerit.

Hinc igitur *una, eaque sola, via ineunda erit*, quae *ad solertiam medici, artemque ipsam amplificandam faciat; Empiria* scilicet *rationalis*. „ Duo enim, recte monente BAGLIVIO, „ sunt praecipui Medicinae cardines, ratio et „ observatio; haec veluti filum, ad quod redigenda „ sunt Medicorum ratiocinia." (*)

Ars medica universam secum habet experientiam; haec fuit enuntiatio, saepius atque saepius repetita, hodiernis tamen in theoriae studiis magis magisque adhuc repetenda. Illa verus est fons ac germanus, unde quae artem vere medicam constituunt, haurienda erunt. Quod in hac bonum rectumque cernitur, per illam ei obtigit; quod vel aliis modis clanculum accessit, imperfectum

et

(*) G. BAGLIVII, *Opera omnia Medico-Practica*, Lugdb. 1704, L. I., pag. 5.

et incertum facile dixeris. Illa profecto comprehendit, quod in certâ obſervatione conſpicitur, quod, velut conſectaneum veri nominis, ex ipſis experimentis colligitur, tum ad veram existimationem ducitur. Haec poſitionem ipſam aut corollarium uſûs communis conſtituit. Scientia illa empirica, quam, pro infinito fere obſervationum numero, aeque infinitam praedices, conſenſionem ſibi vult finalem obſervationum bene multarum, quas uno quaſi actu et ictu comprehendit, atque finis earum eo gravior erit, quo magis ex uſu practico colligi poterit. Haec experiundi ratio, ut cum clarisſimo HORNIO, inſigni inter alios Germaniae decore, dicam, „ non ſola est agendi „ ratio pro lubitu ac ſenſu, aut arbitrio ſuscepta, „ nec effectus ſenſuum, videndi, audiendi, gus- „ tandi, olfactus aut tangendi, quod in organismo „ ejusque mutationibus obſervantur; ast ejusmodi „ effectus in eo, qui experimenta facit, e rebus „ ſenſui et rationi ſubjectis petitus, pariterque

„ ope

„ ope rationum aequalium, quas ratio ipſa cum ſenſu „ nostro conjungit, ut ut illa facultas abſtrahendi „ nuncupari ſolet, quâ τὸ *ſimplex*, e ſenſu ductum „ ad *univerſale* transferatur. Absque exercitio ſen- „ ſuum igitur nulla ars medica dari, ſicut absque „ mentis applicatione, quae monet quid vel abſtra- „ hendum aut judicioſe formandum ſit, fieri nunquam „ poterit Experiendi ratio igitur ſequitur ſtatum nor- „ malem organismi nostri aut abnormalem, ejus- „ que vel imminutionem vel ſublationem, cui „ obſervatio ſenſuum dederat materiem, quam „ vero ratio et judicium ad finem therapeuticum „ rite aestimabunt atque ad uſum practicum re- „ ferent. Comprehendit illa pernoscendi conge- „ riem, quae non meditando ſolum aut argute „ disputando comparatur, cujus vero pretium „ rebus ipſis externis dijudicatur; non igitut quod „ pro arbitrio capias aut rejicias, ast aliquid „ necesſarium; verbo, ejusmodi cognitio, quae „ experimento nititur, cujusque veritas a nemine

„ in dubium vocari poterit (*).“ Haec itaque ineunda erit via, quâ ad ipsam rei naturam, experientiâ duce, cognoscendum erit, quod in omni tempore atque occasione aequale semper sit, quod subjectas sibi habeat observationes rerum vere existentium, pariter cum examine illorum omnium, quae vel Physiologia, vel Anatomia, aut Chemia, afferre poterit, vel tandem quod de multis peculiaribus veri nominis confectaneis novam conclusionem abstrahit, postea vero observationes universas inter se comparat, ad inveniundum lapidem angularem, quo omnes aedificii partes nexu arctissimo conjungantur.

Experientiam, igitur, medicinae fundamentum agnoscamus, sed eam solam non sufficere statuamus, conjunctam vero eum theoriâ rationali, quae observationes omnes et plenam morborum historiam inter se et cum praesenti morbo compa-

(*) E. Horn., *über den Werth der medizinischen Erfahrung und über die Mittel sie zu erlangen.* Berlin 1807. S. 8. *sqq.*

parat, quae solidas rationes, easque claras et perspicuas, dare valebit, insignem continere utilitatem; verbo, talem laudemus experientiam, quae solidis ratiociniis innititur, quae nec figmentis subjecta, neque omni horâ mutabilis, sed scientia hominis medici, ut ita dicam, aeterna praedicatur.
„ Theoria, recte monente GAUBIO, opinionum
„ commentis consarcinata, fucoque hypothesium
„ exposita, etsi specioso habitu incautis arrideat,
„ non solum usu caret, sed multis etiam modis
„ cum arti, tum artifici obest. Etenim, ne
„ dicam in contemptionem, quâ satis superque
„ laborat, adduci, damnosius hoc est, quod mas-
„ culum illud observandi studium, veteribus tan-
„ topere excultum, a quo, cum inter initia
„ deducta et deinceps aucta est Medicina, tum
„ hodieque incrementa capere ac perfici debet,
„ tanto fere magis frigescat, quanto ratiocinatorum
„ ejusmodi fervidior est ad argutandum pruritus
„ atque in fingendis hypothesibus licentia effre-

„ na-

„ natior." (*) Imo, Auditores, hanc unam, veramque viam, quae ad certam ſcientiam ducit, Medici jam iniverunt, eaque ſemper postea ineunda erit. Iniverunt, inquam, Viri praestantiores, qui, nullo ſystemati inſervientes, viderunt, quod erat conſpiciendum; qui, inſtructi optimis obſervandi praeſidiis, vera a falſis distinxerunt, omnia inter ſe conjunxerunt, ut verum cognosceretur; Viri illi prudentiores, non conjecturâ audaces, aut temere festinantes, nec ſolo deſiderio acti atque ſtudio repetendi, quod alii jamjam obſervârant; Viri, tandem, ſtructurae corporis et organismi ita peritiores, quantum quidem pro modulatione ingenii aut ratione temporis comparari potuit: hi omnes viam hanc regiam ingreſſi ſunt. Cum luce, quam accenderunt, novum ſimul medicinae ſtudium aperierunt ejusque ſcientiam firmârunt, quamvis ad ſummam perfectionem perducere nunquam in men-

(*) *l. c.*

mente habuerint. Documento ſint ſcripta illorum bene multa, quae vel experimenta et argumenta continent maximi pretii, per ſe quidem vera, a nemine oppugnata, nullique cedenda tempori, quoniam naturae magis quam hominum effata dixeris. Quae apud eos clara et perſpicua fuerunt, per vigenti et quot excedit ſaecula, tenebris hypotheticis facile obscurari potuerunt; nunquam vero ſplendorem ſuum amiſerunt, atque ex ipſis tenebris novam lucem elicuerunt. Multi, e ſcholâ noſtrâ aetatis poſterioris, audaces quidem fuerunt in contaminandis illorum nominibus, omnibusque, qui a parte Hippocratis ſteterunt, tarditatem, ignaviamque objecerunt; quippe qui doceat, exſpectando curare, et generoſos quoscumque ad artem novis tentaminibus amplificandam conatus retuderit. Quod autem ad Veteres attinet, laude dignos potius, quam deriſione et calumniis illos judicarem. Teſtem hic appellare mihi liceat praeceptorem, nec non amicum dilectisſimum PARADISIUM:

 „Im-

„ Imbellis ergo (*) (ita loquitur) ô boni! Hip-
„ pocratis Medicina est, quae morbis extremis
„ extrema remedia adhibet, quae materiem no-
„ civam, ad exitum paratam, nullo non morbi
„ tempore subtrahit, quae dejectiones, non copiâ,
„ sed utilitate aestimat, adeoque nec sanguinem
„ ad animi deliquium effundere, nec mochlicis
„ corporis profunda verrere non reformidat?
„ Ignavum igitur Medicum agebat SYDENHA-
„ MUS, quum febribus intermittentibus, etiam
„ quando continuarum faciem prae se ferebant,
„ etiam quando sub aliorum morborum formis
„ latebant, liberalissimum Corticis Peruviani usum
„ opponebat; quum in Dysenteriis ad Laudani
„ potentiam haud minus promptus quam animosus
„ decurrebat; quum Pestis venenum potentissimis
„ diaphoreticis adoriebatur, quum miros istos a
ner-

(*) N. PARADYS, *Oratio de cognitione historiae medicinae, magna cum ad Medici in arte exercenda solertiam, tum ad artis amplificationem, adjumento*, pag. 23.

„ nervorum ἀταξία morbos *ferro* oppugnabat? „ Iners erat Medicus BOERHAVIUS, qui animoſam Veterum medicinam et praeceptis et exemplo „ laudabat, qui tam multa e chemicorum officinis „ medicamenta commendabat et tam valentia ut, „ ne, ſuae auctoritatis excuſatione, temerarii forte „ Medici abuterentur, diſerte juberet, ab uſu „ abſtinere qui methodum utendi neſcirent? An „ quia ſpontaneos naturae medicatricis motus, ſuis „ quoque legibus temporibusque adſtrictos, cenſuerint ab arte adjuvari debere, non temere „ intempestivis moliminibus turbari, medicique „ ſolertiam non magis tunc cerni, et intelligentibus approbari, quum magnos morbos magnis „ remediis debellat, quam quum, vel ex arte cunctando, vel quiescendo et idonea agendi tempora venando, res aegrorum restituunt; anne „ ideo ſummi hi Viri, inſanienti vestrae ſapientiae „ inertes, ignavi ac tardigradi videntur? Sarta „ tecta ſervabitur Medicinae Hippocraticae, aeter-

 „ nis

„ nis legibus fundatae, dignitas: conſtabit Naturae „ ſua virtus ſuusque in agendo ordo, relicto me- „ dicis ſolo glorioſae in Naturae parendo ſervitutis „ honore."

Eandem Viam A. A., inierunt etiam optimi hodierni temporis Medici. Scholae illae Patriae, quae illam veluti tutam ac ſecuram commendabant, doctores habuerunt celebriores et discipulos pariter, industriâ, ſcientiâ, arte, ornatisſimos. Defervescit etiam de tempore infelix omnia miscendi, diruendi, convellendi furor: jam ad meliorem mentem redeunt, quos inconſiderata rerum novarum nec expertarum cupiditas infatuaverat. „ Quae enim, ut jure „ ſummo dixit BAGLIVIUS, in naturâ fundata „ ſunt, crescunt et perficiuntur, quae vero in „ opinione verſantur, non augentur." (*)

Illa igitur via, quam, cum Veteribus, ingresſi fuerunt SYDENHAMUS, BOERHAVIUS, FR. HOFF-

MAN-

(*) *l. c.* Lib. I., Cap. XII. p. 127.

MANNUS, STOLLIUS, RICHTERUS, GRANTIUS, GORTERUS, GEUNSIUS, OOSTERDYKIUS, THUESSINCKIUS, HUFELANDUS, alii, aut ad perfectionem et certitudinem ducit, aut, nisi hoc ita vere comparatum sit, nobis profecto ab eâ omnino discedendum erit. Audire si velitis priscum audacioris disciplinae patronum, quem postea ad viam regiam redire non puduit, jam testem appellabo virum clarissimum FRANKIUM, filium. „ Dicam candide, (sunt verba „ ejus), me systemati BRUNONIS longe nimis tri- „ buisse ac in eo praecipiue errasse, quod scilicet „ crediderim, scientiam medicam posse systematis „ limitibus contineri et excoli. Ast sanctus veri- „ tatis amor, atque data naturae mysteria in „ morbis observandi opportunitas, ab aeternâ animi „ coecitate me defenderunt. Statim ac igitur ocu- „ los ad perennem naturae lucem converti, vin- „ culorum me puduit, quibus, licet non tena- „ citer, systematis me amor obligaverat. Qua-

 „ prop-

„ propter iis abjectis, ac libertati restitutus, quid
„ me in arduo opere praxin medicam exercendi
„ ſuffulciret, anxie quaeſivi. Obſervatio et Ratio,
„ hi duo Medicinae cardines, ſeſe quaerenti
„ obtulerunt. Ambos ſyſtematum medicinalium
„ ſectatores magnâ ex parte effugere, tandem
„ cognovi. Genuina enim obſervatio ibi deſit,
„ oportet, ubi obſervatoris judicium a praecon-
„ ceptâ opinione ducitur, nec ſana ratio ultra
„ limites experientiae procedit. Hujusmet autem
„ limites in rebus medicis ſtatuere, magni ingenii
„ tantum labor esſet, niſi ſummi in arte Viri,
„ inter quos ſufficiat HIPPOCRATEM, SYDEN-
„ HAMUM, et BAGLIVIUM commemorasſe, id
„ jam abſolvisſent. Legant, iterumque legant
„ illorum opera, qui veram medicinam, artem
„ ſcilicet reipublicae et aegrotantibus ſalutarem,
„ addiscere cupiunt. Videbunt, maximos illos viros
„ a judicio circa cauſas proximas morborum, atque
„ reconditas medicamentorum actiones, fere om-
„ ni-

„ nino se abstinuisse, et in phaenomenis morbo-
„ sis accurate describendis, remediorumque effecti-
„ bus, pro variâ rerum positione variis, sedulo
„ determinandis, totos fuisse." (*)

Atque adeo quid hanc in rem nunc faciundum, quaenam via ad solertiam Medici et ad artem ipsam amplificandam incedenda sit, nunc A. A. breviter videre, a re nostrâ haud alienum erit. Fundamenta Theoriae jacere, quin et ipsam Theoriam formare, postea demum experientiam ad auxilium vocare, quae illam confirmet, insanum revera erit, quippe nec ratiocinandi ratio, neque experimenta ad rem illustrandam, nec philosophia hypernaturalis, germanum hunc scientiae medicae fontem aperire poterunt. Ager autem, adhuc colendus, largus et abundans pariter est, ut multi fructus et jucundi inde colligi possint; arctior au-

(*) JOSEPH. FRANK, *Acta Instituti clinici Caesareae Universitatis Vilnensis. Annus Primus.* Lipsiae 1808. Introductio, pag. 3. *sqq.*

autem Medico, qui empiriam ex obſervationibus erit inventurus. Quo accuratius obſervabit, quo magis aliorum obſervata ad regulam criticam referet, felicior profecto in delegendis partibus erit ſuccesſus. Qui autem disciplinam ſcientificam, vel univerſum medicinae objectum, ad uſus practicos conferat, nullo hujus aut vel rationum peculiarum examine inſtituto, quod ipſis ſuis aut aliorum obſervationibus conveniat, aeque infeliciori gaudebit eventu, atque omnis ille, qui, ſummâ in obſervatarum rerum congerie practicâ, nullam rationem ſcientificam ſecutus, mediis errabit in undis. Artem autem ſcientificam, quae pari pasſu in diem perficitur, Empiriam arctioribus limitibus circumſcripturam, omnemque illius, vix ac ne vix quidem evitandam, incertitudinem atque errorem diminuturam fore, nos facile exſpectemus. Moneamus tamen pariter, Empirismum rationalem ſummo cum ſtudio esſe colendum, quippe in omni praxi exercendâ, ad illum, non dicamſolum, ast fidelem comitem confugere nos oportebit. Ac-

Accurata igitur et perpetua obſervatio ſimplicio-rum organismi atque naturae relationum; tum ſedula Practicorum exercitatio, quantum quidem individua dagnostices, materiaeque medicae obſer-vata literis mandârunt, Medici practici ſumma atque una erit provincia. Adjiciendae erunt ipſae obſervationes, quas cum aliorum obſervatis com-parabit. Seligenda tandem erunt, more critico, quae ei in omnem partem graviora atque ita, jure merito, commendari et affirmari posſe videntur. Indulgeat, igitur, naturae et hominum ſpeculationi, quae, ad uſum vitae et artis recte conſtanterque adhibita, Medicos rationales et modestos, nunquam vero ſpeculationi ſophisticae, quae, fictionibus indulgens, arrogantes et inanes efficit.

Hoc modo, Empiria, naturâ ſuâ atque modo ambitum, qui per ſcientiam ipſam circumſcribi-tur, definire vel distendere poterit, atque Medicus ipſe, in postremo temporis et agendi puncto,

ſenſum medicinalem et *judicium practicum* ſibi erit vindicaturus, ut perinde diagnoſin veram inſtituere et medicamina felicius adhibere queat. „ Est ſcilicet ſenſus medicinalis, ut cum HAHNIO(*) „ loquar, facultas longo uſu, asſiduâ ſpeculatione, „ et ſedulâ antecedentium et conſequentium com- „ paratione acquiſita, percipiendi celeriter, et ab „ iis, quae extrinſecus apparent, cognoscendi prae- „ ſentem Corporis conditionem, morbi genium, „ naturae vires, cuncta denique, quae ſpem aut „ metum faciunt. Huic ſenſui adjungit judicium „ practicum; haec nobilisſima veri Medici facul- „ tas, diuturnâ ſpeculatione et meditatione acqui- „ ſita, quae facit, ut exiles differentias, quae „ vulgares Medicos fugiunt, in magnâ caſuum „ ſimilitudine percipiat, vicisſimque, ubi maxima „ extus diſparilitas esſe videtur, ibi causſarum „ morborumque unitatem ſaepe agnoscat, item- „ que

(*) J. D. HAHNII, *Oratio de Medico Speculatore*, L. B. 1795. pag. 58.

„ que ſymptomata ſubtilius discernat et quae „ alios terrent, haud raro levioris momenti esſe, „ neglecta potisſimum curanda perſpiciat."

Rationes igitur magis definitae, quibus Medicinae cultura ut plurimum perficietur, rite collocandae erunt in accurato ſtatûs morboſi, ejusque varii omnino et diverſi, ſtudio, quo ſcilicet theſaurus experientiae medicae mirum in modum augebitur. Atque huic fini inprimis *Clinica* occaſionem optimam praebitura erit cognitionem omnem theoreticam adhibendi, quae tamen ad uſus ſuos ſalutares referri nunquam poterit, niſi vel omnem doctrinam medicam ei plane ſubjeceris.

Perlegenda ideo omnino erunt tam Veterum, quam Recentiorum ſcripta, quorum argumentum eruditionem et acumen criticum acuit et confirmat, tum exercitationem illam perpetuam auget quâ et partium ſtudium et periculum tollitur defendendi vehementer, quod ſemel animo praejudicato ſta-

tueris. „ Expedit, monente HOFFMANNO, ad „ ſtabilienda fundamenta ſolidae et verae medi- „ cinae, theoriam veram et realem cum praxi, „ veteres cum recentioribus amice conciliare atque „ conjungere, multasque ſalutares veritates in „ ſingulis cum judicio haurire, postea eas in „ ordinem et connexionem, attentâ meditatione, „ digerere, ut doctrina medica ſcientiae demum „ opus evadat." (*)

Cognitâ autem experientiâ omnium aetatis Medicorum, expenſisque eorum ſystematibus et conatibus, cognitionem omnem medicam ad artis formam redigendi; conjunctâ deinde hac doctrinâ empiricâ cum progresſibus varii generis, quos ſcientia naturae ad hunc usque diem fecit; ſervatâ porro omni cognoscendi harmoniâ, absque ullius ſystematis aut partium ſtudio praejudicato; praxi tandem conſervatâ ſimplici atque integrâ, juxta ob-

(*) FR. HOFFMANNI, *Med. Rat. System.* Tom I. Cap. VI, §. XXIII. pag. 38.

obſervationes et morborum historiam, experientia rationalis et ſatis bene certa efficietur, tum ars ipſa et ſcientia ad ſummum fastigium perventurae erunt.

Denique pari cum paſſu progrediendum erit cum ipſâ, quae in diem crescit, disciplinae culturâ et operâ virorum eruditorum, qui labores ſuos hanc in rem inſtituere haud deſinunt, atque adeo examen ipſum referendum ad ſpeculationes varii generis, quas vel ancipites, quin et funestas, unus aut alter praedicaverit. Quamvis enim vel pauca tantum utilia ex ejusmodi perſcrutatione exſpectes ad culturam alicujus partis medicae, quae juxta naturam ſuam fingendi aut effingendi rationem phantasticam haud patitur; quamvis vel oculos nostros jucundo novi hujus inventi ſplendore, vel potius caligine, tegamus, neque et judicis recti aut accurati officium relinquamus, unumquemque tamen conatum, qui veri amorem complectitur, artem et ſcientiam amplificandi, in omnem partem aestimare et imitari oportebit. Veri enim ſtudium, quemnam aucto-

rem aut amicum habeat, aut vel quonam modo vario promoveatur, grato ſemper animo existimare atque revereri omnis aequus rerum judex facile ratum habebit. „ Rationalis igitur, (ut omnia ad „ unam tandem obſervationem redigamus,) Medici „ nomen, cum HAHNIO, viro celeberrimo, illum „ ſolum dicamus, qui viam tenet, quam ſana, „ tranquilla, modesta *Ratio*, uſu et periculis „ ſubacta, experientiae et historiarum luce collu- „ ſtrata, nobis monſtrat. Haec nobilisſima animi „ vis, inferioribus facultatibus imperans, notiones, „ ex veris fontibus hauſtas, accuratisſime inter ſe „ conferendo, ſimilitudines et differentias, pro- „ gresſus et quaſi causſas cernit, praeſentibus ad- „ jungit nectitque futura: ſed, inanibus votis non „ indulgens, jactantiam odit, verecundiam amat, „ diffidentiam parit, nosque inprimis cautos esſe „ jubet in aestimatione facultatum nostrarum, „ ne, dum ſpecioſam Dogmaticorum ſubtilitatem „ miramur eamque asſequi ſtudemus, vera artis „ auxilia negligamus. Haec *Ratio*, Medicorum

op-

„ optima consultrix, animum firmat contra ingenii „ luxuriam, contra opinionis tyrannidem, contra „ pathematum fallacias. Haec nos ab audaci „ volatu retrahit, et ingenio praecisis alis plumbum „ addit; nec tamen repere in singularibus et con- „ senescere patitur, sed lento gradu progredi „ docet ad illam cognitionem, quam *mediam* „ appello, quae omnem utilitatem facultatemque „ agendi complectitur, ab intimis rerum et natuae „ ultimis prudens abstinet. Sic paulatim nos ducit „ ad eam philosophandi temperantiam, quae Me- „ dicum decet, juvat, ornat, consolatur etiam in „ adversis et erigit. Is enim demum vere sapiens „ Medicus est, qui non amplius arbitratur, scire se, „ quae ignorat, qui aequo animo, quantum sit, „ quod nesciamus, percipit, et nihilo minus in „ studio naturae perseverat." (*)

Atque ita ad vos, Juvenes optimi! a quibus et Schola nostra et Patria, et Doctrinae atque Literae; quae-

(*) *l. c.* pag. 50.

quaecumque bona ſperant, convertat ſeſe tandem mea Oratio. Quod in arte nostrâ medicâ cavendum erit, quid vel prospiciendum, aut conſulendum, aut ſequendum, aut fugiendum ſit, intellexistis. Laudis, doctrinae et veritatis, comitem absque dubio vos amatis, qui vobiscum causſas rerum et principia vestigare, artemque nostram praeclaram, in obſervandis et curandis morbis ad majorem certitudinis gradum erigere atque elevare in animo habeat. En comitem talem atque amicum me vobis moderatum offero, praebeo. Pauca vobis polliceri posſum; ast diligentiam, alacritatem, modestiam promittere et commendare, haec res mihi pariter atque vobis ad gloriam valebit. Nos igitur Commilitones! literarum palmam, nullibi temere tactam aut exterorum manibus delibatam, ſervemus incolumem, ut Patriae utiliores, Regi optimo commendati, Magistratui et Civitati comprobati, Civiumque Academicorum justo nomine digni existimemur!

D I X I.